

☉ CLARISSIMO
VIRO D. ADOLPHO OC-
CONI F. INCLYTAE REIPVB.
Augustanæ medico doctissimo, Conradus
Gesnerus medicus Tiguri-
nus S. D.

MITTO ad te, vir doctissime, Epi-
phanij de XII. gemmis libellũ Græ-
cum & Latinum, ab amico itidem meo, opti-
mo & pererudito viro conuersum. Audio
quidem Lutetiæ Parisiorum etiam euulgatũ
esse: sed ego hæctenus nec Græcum neque La-
tinum typis editũ videre potui. Quamobrem
cæteris qui hoc codice coniuncti sunt, amico-
rum & meis, de metallis ac lapidibus libellis,
hunc etiam adiungere volui: quem Epiphaniij
veteris, sanctissimi ac doctissimi illius episco-
pi Cypri, genuinũ esse foetũ non dubito, etsi in-
ter reliquas eius Græcè Latineq; Basileæ edi-
tas lucubrationes non habeatur. Fuit enim
vir ille, non pius solum & eruditus in literis
sacris episcopus: sed rerum etiam naturalium
sciētissimus: quod relictĩ ab eo libri declarāt,
in quibus sæpe similitudines à naturalibus re-

(æ) 2